

DISSERTATIO PHILOLOGICA
DE
PERSVASORIIS
HVMANAE SAPIENTIAE
VERBIS
AD I COR. II, 4.

QVAM
CONSENTIENTE
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
PRAESIDE
GOTTHILF TRAVGOTT
ZACHARIAE

PHILOSOPHIAE ET LIBERAL. ART. MAGISTRO
FAVTORE AC PRAECEPTORE
AETERNVM COLENDO

DIE OCTOBRIS MDCCLIII.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI EXPONET
AVCTOR ET RESPONDENS

CHRISTIAN GOTTHOLD PEIPER

BOLESLAVIA - SILESIVS S. S. THEOL. CVLTOR.

HALAE MAGDEB.
EX OFFICINA HILLIGERIANA.

Coll. diss. A
239, 8

~~78~~ ~~78~~ ~~78~~

Diss. A. 239 (8)

DISSEMINATIO HEDICINA

DE

GERMANIA

HVMANA PAPENTIA

VERIS

AD I COR II

YVAM

AMBROSIO PAVLO GORONOMI ORDINA

PRAESIDE

GOTTMILLER



ZACHARIAE

PHILOSOPHIAE

AVTORIS

OPUS

DIE

PHILOSOPHIAE

AVTORIS

GOTTMILLER

PHILOSOPHIAE

OPUS

AVTORIS

1771

VIRIS

EXCELLENTISSIMIS AMPLISSIMIS
CONSVLTISSIMIS PRVDENTIS.
SIMISQVE

CONSVLI DIRIGENTI,
PROCONSVLI

ET

IVDICI PERPETVO,
CAMERARIO,

CETERISQVE INCLVTAE CIVITATIS BOLES-
LAVIENSIS PATRIBVS ET MEMBRIS

SENATVS GRAVISSIMIS

ETC.

DOMINIS SVIS PATRONIS

OPTIMIS ET GRATIOSIS

DISSERTATIONEM HANC PHILOLOGICAM

IN

GRATI ET DEDITI ANIMI

PRO TOT TANTISQUE IN SE

COLLATIS BENEFICIIS

TESSERAM

CVM VOTO OMNIGENAE ET VERAЕ FELICITATIS

D. D. D.

Observantissimus et deditissimus cliens.
Christian Gotthold Peiper.



§. I.

In conscribenda dissertatione dictum hoc *Paulinum* cur elegerim, paucis me expediam; gemina autem adfuit ratio, primo quia in verbis ipsis quaedam latet difficultas, illique, qui in explicando hoc dicto operam nauarunt, inter se non consentiunt, omnes eandem lectionem non admittentes, secundo autem, quia *Paulus* negat, per suasoria verba humanae sapientiae se adhibuisse in praedicanda doctrina de *Christo* hominumque cum Deo reconciliatione & coniunctione; Abuti hinc solent multi non solum isto sed & similibus effatis ad contemnendam eruditionem puraeque dictionis studium: doctrinae euangelii & exemplis Apostolorum in sacris paginis obuiis id repugnare sibi persuadentes, in orationibus publicis & quidem sacris coram populo habendis iusto ordine procedere, solidisque rationibus uti, quasi omnes scientiae, quae ad sapientiam humanam spectant, hominem Christianum & praecipue ecclesiae doctorem dedecorarent: Operae hinc pretium esse duximus, exponere, quaenam verborum genuina sit notio, & de quaenam sapientia humana sermonem faciat diuus *Paulus*.

§. II.

Antequam autem ad explicationem verborum singulorum commatis nostri progredimur, finis & nexus praeprimis considerari debet. Ad scopum igitur quod attinet, quem *Apostolus Paulus* in epistola priori ad Corinthios praefixum habet, in eo ille consistit: vt ecclesiam initio quidem ad Christum conuersam postea vero valde deturbatam in ordinem denuo redigat, & ad mutuum vere Christiani amoris exercitium puramque & limpidam diuinarum veritatum cognitionem perducatur; de qua re conferri meretur *B. Augusti Hermanni FRANCKII* commentatio de scopo librorum Vet. & N. T. p. 124. Nunc & de nexu pauca admonebimus quae ad illustrationem dicti nostri pertinent: vbi in priore epistolae parte reprehensiones de variis malis, quae in ecclesiam irrepsent, occurrunt a Capite I-VI. quarum prior pars ad sectas inter eos ortas variasque ecclesiae dissensiones spectat, praesertim in doctrina atque respectu doctorum a Capite I-IV. quod ex commate 12. Cap. I. optime constat, cum alii hunc alii denique alium doctorem eligerent, a cuius partibus starent, a cuius & ore penderent. Dissidia itaque haec aegre ferebat *Apostolus*, & de iis *Corinthios* reprehensus, vt eo melius tamquam christiano indigna in oculos incurrerent, institutionem praemittit, & de indole doctrinae euangelii, cuius efficacia non humana auctoritate nitatur, & de propria dicendi methodo a Capit. II-IV. quo membra ecclesiae Corinthiacae perspicere possent, se viam rectam deseruisse vitamque non instituisse, prouti edocti fuissent. Hoc capite igitur versatur in descriptione eiusdem, vt subsequenter capitibus iniquitatem dissensionum Corinthiorum ob doctorum praerogatiuas ortarum deriuare exinde possit. *Paulus* quidem *Corinthios* ad fidem in Christum perduxerat, sed & postea alios audiuerant, qui *Corinthum* venerant, prouti de *Apolline* constat, qui exercitatus in dicendo erat *Actor.* 18, 24. seq. c. 19, 1. adeoque dissidium oriebatur inter illos, vt non nulli huic doctori addicerent se, alii alii. Quam ob causam capite 2. & modum quem obseruasset in proponendo doctrinas v. 1-5. & do-

ctinas

Strinas ipsas quas docuerat v. 6 - 16. describit. Non gloriose & cum ostentatione insignis eruditionis & eloquentiae se praedicasse ait, quod hoc commate 4. distincte proponit, ac rationes eius v. 5. addit. In initio commatis nostri καὶ occurrit, quod ad v. 1. se refert, vbi Paulus asserit, se non cum eminentia sermonis aut sapientiae ad Corinthios venisse; rei itaque istius propositae declarationem vberiore indicat, ad particulam causalem γὰρ v. 3. obuiam se pariter refert hoc comma, sicuti eadem particula καὶ v. 2. id innuerat. Indicat igitur solum, vberius hic explicationem v. 2. coeptam continuari, ac sufficit, significatum copulationis retinere, licet etiam non erret, qui per igitur vertit, cum eodem redeat, in quo probando multam operam impendit RAPHELIVS in diff. de verbis humanae sapientiae persuasoriis sub Praesid. D. FECHTII habita.

§. III.

Nunc ad singula progredimur explicanda verba. Primo autem subjectum se nobis considerandum offert: ο λογος μου καὶ το κηρυγμα μου; quod ad priorem partem subjecti attinet ο λογος μου, λογος generatim notionem verbi habet, tropice autem per synecdochen notat verbum complexum siue ore prolatum siue scriptum, vnde designat sermonem feu orationem, cuius pars est verbum. In oppositione autem erga κηρυγμα, λογος de sermonibus priuatis intelligendum est. Multa enim exstant loca, quibus λογος de colloquiis priuatis sumendum e. g. Matth. 5, 37. Εγω δε ο λογος υμων ναι ναι ου ου. Loquitur saluator noster in dicto isto de iuramentis, & quomodo a temerario vsu illorum abstinere deberent, praecipue in rebus priuatis, in quotidianis conuersationibus, illisque rebus, quae non magni momenti essent. Marci 8, 32. καὶ παρερησια τον λογον ελαλει hic euangelista de mediatore nostro dicit, quod aperte sine parabola sermonem de instanti sua passione, morte & resurrectione suis discipulis elocutus sit. His adiici pariter potest Eph. 4, 29. Quod & satis ex ipsa oppositione constat, cum publica oratio, dum opponi debet, priuatae opponenda sit. Vnde nomen illud ver-
bale

bale de institutionibus in domibus eorum inter amicos paucos adhibetur. *Paulum* autem *Corinthiis* euangelium inter priuatos parietes annuntiasse, exinde patet, quia per integrum fessquiannum ibidem commoratus est, quo Christo ecclesiam colligere posset. *Paulus* autem nullam intermisit occasionem, qua verbum veritatis illis notum faceret & inuitaret, vt subditi regni gratiae Christi fierent. Itidem & historia euangelistarum nos de eadem re certiores facit, non solum saluatorem nostrum, sed & reliquos apostolos in aedibus priuatis populum informasse.

§. IV.

Nostro itaque in commate ἡ λέξις ὁ λόγος opponitur κηρυγμα, quod de publicis orationibus sumendum. Ad originem vocis autem quod attinet, nomen est verbale, & descendit a prima persona praeteriti passiuui verbi κηρυσσω, quod generatim proclamare notat, quocunque modo ac ratione fiat, speciatim α. proprie est publice altaque voce proclamare β. metaphorice notat praedicare. *Matthias Flacius Illyricus* in *Clauē scripturae sacrae* p. 961. de hac voce scribit: *Noui ergo Testamenti scriptores, sumta dictione a praeconibus, qui sunt regum & gubernatorum ministri, ac intensa voce populo voluntatem aut decretum magistratum denuntiant, eoque vocantur κηρυκτες, a praedicto verbo κηρυσσειν, ob quandam similitudinem personarum, rerum, aut functionis ministerium & propagationem euangelii expresserunt vt indicarent, euangelium clare, publice & libere, cum quadam dignitate ac auctoritate, omnibus tradendum ac inculcandum esse; sicut olim praecones solebant, adstante aut sequente rege. Κηρυγμα igitur de sermonibus pro concione habitis, imprimis de rebus propositis est intelligendum, sicuti hoc loco, quod non solum finis scriptoris & nexus, sed etiam paralelismus ostendit; in ipsa enim priori epistola ad Corinthios c. 15. v. 14. *Paulus* scribit: *Si autem Christus non surrexit, vana utique praedicatio (κηρυγμα) nostra est.* Satis dilucide ex hoc dicto allegato apparet, per κηρυγμα totam doctrinam euangelii intelligi. Conferri adhuc possunt *Matth. 12, 41. Luc. 11, 32. Rom. 16, 25.* Neutiquam tamen negamus, quod*

quod & alias de actu proponendi ipso adhibeatur. *Paulum* autem publice ad coetum orationem habuisse, patet ex Actis Apostolorum c. 9. C. 17. v. 15. seq. legimus, *Paulum* quotidie *Athenis* in foro disseruisse i. e. propalam, quo maxime populus coibat, imo & hic verba faciebat cum quibusdam philosophis *Epicuraeorum* & *Stoicorum*, vnde factum est, vt apprehenderent illum, & in publicum iudicii locum abducerent, non vt iudicio sisterent eum, sed vt noui aliquid ex eo audirent.

§. V.

Ad subiectum commatis nostri $\mu\delta$ etiam pertinet, quod neutiquam exclusiue sumendum est, ac si exclusionem reliquorum apostolorum aliorumque doctorum indicare deberet; praedicationem enim euangelii saluator noster non solum Paulo, sed & reliquis apostolis demandauerat. De se ipso Paulus tantum loquitur, quia res erat inter Corinthios de ipsius sermone, quippe qui a multis ob neglectum ornatus dictionis contemnebatur, quod patet ex capite 4, 3. seq. 2 Cor. 11, 5. seq. & praecipue ex 2 Cor. 10, 10. vbi Paulus scribit. *Nam epistolae quidem inquit, graues sunt & fortes, at praesentia corporis infirma & sermo contemptus seu nibili habitus.* Verba igitur recitat aduersariorum, quibus Apostolum exagitauerant, hinc & nostro loco iniquitatem iudicii sinistri ipsis repraesentare volebat, quippe cum ministerio Pauli ad fidem Christianam conuersi essent. c. 3, 6. dicit, se plantasse ecclesiam *Corinthiacam* & v. 10. sapientem architectum se nominat, & quidem eam ab caussa quia fundamentum posuisset. Videatur & c. 4, 15. 2 Cor. 11, 2. 5. seq. *Eusebius* quidem praep. euangel. L. I. p. 6. editione *Rob. Stephani* $\eta\mu\omega\nu$ habet in priori parte, ac si Paulus de omnibus Apostolis domini & doctoribus ecclesiae sermonem faceret, posterius $\mu\delta$ autem plane omittit, sed satis constat, illum ex memoria solum allegasse locum. Nullae hinc suadent rationes, cur lectionem hanc admittere deberemus.

B

§. VI.

§. VI.

Postquam subiectum & genuinam notionem verborum illius considerauimus, ad explicationem praedicti nunc progredimur *εκ εν πειθοις ανθρωπινης σοφιας λογοις, αλλ' εν αποδειξει πνευμαλος και δυναμεως*; quae locutio ellyptica est, ac per *εγενελο* vel *πεποιηται* supplenda. Verbum meum & praedicatio mea non in persuasoriis humanae sapientiae verbis fuit seu facta est. His itaque verbis Paulus de propria dicendi methodo verba facit §. II. *Corinthiis* ea propter modum praedicationis suae euangelii proponit: quomodo tam publice §. IV. quam priuatim §. III. locutus sit, ante oculos ponit, & negative & positue.

§. VII.

Dum in explicatione ordinem retinemus, quem Apostolus adhibuit, primo nobis se offert propositio negatiua: *εκ εν πειθοις ανθρωπινης σοφιας λογοις*. Negatio *εκ* innuit, se in praedicando euangelio artes illas sophisticas non adhibuisse in utroque sermone tam publico quam priuato, quia ex ipsa artium harum indole illegitimus earundem vsus apparet. Sophistae enim eo collineabant, vt quam suauissime & dulcissime dicerent. Omnem curam adhibebant, vt sua vox auditoribus placeret. Vnde non solum id vult, quod non solum & praecipue his artibus vsus sit, sed & quod plane non adhibuerit, non ignorans, quod fraudi sint eadem auditoribus, ac solum in iis sonus & numerus permulceat, mentem vero nec afficiant nec emendent. *εν* indicat, verba euangelii se non adornasse talibus flosculis oratoriis artibusque sophisticis. Hoc enim si fecisset Paulus, doctrinae euangelii plus nocuisset quam profuisset. Celeberrimus BOCHARTVS in epistola ad Tapinum de scripturae sacrae diuinitate scribit p. m. 7. *Huc & id refero, quod sacri scriptores de verbis studiose inquirendis solliciti non sunt neque de lectorum iudicio anxii; Tenuitatem stili humano more non excusant, vt spurius ille commentariorum Iasonis consarcinator.* Haec constructio per *εν* in sacris litteris satis frequens est.

§. VIII.

§. VIII.

Verba ipsa nunc paucis considerabimus: *πειθοις ανθρωπινης σοφιας λογοις* A, *πειθοις λογοις* B, *λογοις* hic verba in specie ex primo proprioque significato indicat, simulque *Corinthiis* Paulus ostendit, qua ratione & quomodo verba sua disposuisset. Verba enim sine dispositione & combinatione prolata orationis denominatione haud veniunt. Dispositio autem ista quoniam variis modis fieri possit, imo etiam tunc temporis a peruersis hominibus peruersa ratione fiebat, quia res plane diuersas combinarent adeoque prudentioribus ludibrio se exponerent; adnititur *Paulus*, ut omnibus palam faciat, suam dicendi & perorandi methodum quam maxime differre a methodo sophistica, quippe quibus talis connectio verborum arridebat, quae ad persuasionem sophisticam accommodata erat.

§. IX.

¶. *πειθος*, vox ipsa adiectiue vsitata nunquam apud scriptores alios vel in N. T. inuenitur, sed substantiuum quidem *πειθω* *πειθης* occurrit in singulari, quod persuasionem indicat seu suadendam, persuadendi vim, ut *πολλης πειθοι και λογω προσηγαγετο* multos persuasione & sermone adduxit apud *Polybium*, nec hoc quidem nomen in N. T. occurrit. Verbum autem *πειθω*, a quo deriuatur substantiuum *πειθω* *πειθης* 1) generatim notat animi flexionem ad aliquid 2) speciatim proprie denotat suadere, quia suasionem alterius animus flectitur ut praestet vel agat, quod verbis suadetur, tropice autem persuadere; videatur *Christiani STOCKII Clavis linguae sanctae N. T.*

§. X.

Quoniam itaque vox ista adiectiue vsitata nunquam occurrit, factum est, ut variant lectiones, atque multi interpretum mutantur. *α.* mutant eapropter pluralem in singularem, in quo praecedentem habent *Origenem* in *Philocalia* c. 4. ubi legitur: *εκ εν πειθοι σοφιας των λογων* editione *Cantabr.* 1676. 4. p. 25. ubi de soloecismo & tenui dictione scripturae loquitur; eandem lectionem habet in *Comment. in Matth.* p. 354. ut MIL-

LIVS citat. Tertius locus, quem adducit MILLIVS ex L. 6. contra CELSVM ex MS. codice desumptus, ac in editione *Spenceriana* p. 276. ad marginem notata est haec varietas. Verba sunt: *εν παιδοι σοφιας λογοις*, quod *λογων* legendum censet Millius. Satis vero ex omnibus his citationibus constat, *Origenem* citasse, prout in memoriam venit, ac aliis locis recte allegavit, vt L. 1. contra CELSVM p. 48. & in *Philocalia* c. 1. p. 9. vnde saltem maiorem verisimilitudinem nostra lectio accipit, quia facilius fuit, vocem magis vsitatam loco minus consuetae substituere, quam inconsuetam loco frequentioris. Nam non admodum frequens solum in patrum scriptis, vt soli memoriae confidant, nec ipsos codices consuluerint, sed etiam reliquae omissiones hoc loco id satis testantur, cum & vocem *ανθρωπινης* non habeat, ac articulum *των* inseruerit. Saltem lectionis nostrae falsitas exinde euicta dari non potest, dum alias vocem nusquam occurrentem reliquis a nobis allegatis locis non adhibuerit, nisi & haec loca deprauata dicere velimus. Posteriori loco vtique melius lectio in textu *Spenceri* posita praefertur, cum facilius *πειθοις* in *πειθοι* quam *λογων* in *λογοις* mutari potuerit, vnde potius hic locus ad illa referendus, quae nostram lectionem habent. Saltem euinci nihil exinde potest, cum in hoc singulari codice deprauationem factam esse, certe constet, vnde sine probatione assumitur, in *λογοις* eandem quaerendam esse. Cum vero reliqui codices in nostra lectione consentiant, saltem maior ratio adest, in nostras partes locum excitatum trahendi. Huic additur EVSEBIVS praep. euangel. L. 1. edit. cit. p. 6. *εν παιδοι ανθρωπινης σοφιας λογων* habens, quem tamen etiam in aliis non accurate h. l. textum secutum esse constat, cum & v. 6. posterius *της αιωνος της* omiserit. Adduntur his versiones, vt Aethiopica a MILLIO citata & Syriaca vt & Latina, quae *persuasione sapientiae* interpretantur, vel *persuasione verborum sapientiae*, quae tamen contra frequentiore in codd. lectionem probare nihil possunt, cum nullus codex hanc lectionem habens citetur, nisi quod MILLIVS lectionum collectarum iussu Card. BARBERINI e codd. XXII. meminerit, vbi eadem lectio occurrat.

Nec

Nec tuto ex versionibus concludi aliquid potest, cum saepius sensum magis quam verba secuti sint, & sensum etiam hac versione Orientalibus linguis satis conuenienter exprimant.

§. XI.

Hanc lectionem pro vera habuerunt ex recentioribus *Erasmus* SCHMIDIUS in notis ad hunc locum, vbi duplex mutatio fieri debet, vt σ in prima voce omittatur, & $\lambda\omicron\gamma\omicron\iota\varsigma$ in $\lambda\omicron\gamma\omega\nu$ mutetur. Audacior est eorum mutatio, qui $\alpha\nu\theta\rho\omega\pi\iota\nu\eta\varsigma$ $\sigma\omicron\phi\iota\alpha\iota\varsigma$ $\lambda\omicron\gamma\omicron\iota\varsigma$ plane expungenda putant, & solum $\epsilon\nu$ $\pi\epsilon\iota\theta\omicron\iota$ in suadela legendum quod ex *Bonaventura Vulcanio* refert WOLFIVS in curis philol. & crit. ad hunc L. cum nec codicem nec patrum citationes consentientes sibi habeant nec versiones. Non enim solum vera difficultas eo non tollitur, nisi etiam $\pi\epsilon\iota\theta\omicron\iota\varsigma$ mutetur, & dum mutatur, cur non reliqua melioris explicationis gratia addi potuissent? Non enim superflua sunt, sed legitimae verborum restrictioni inseruiunt, cum *Paulus* se vllam persuasionem adhibuisse negare nollet, sed tantum talem, qualis a sophistis adhiberi soleat. Non magis recte agere videntur, qui nomina adiectiua graecis vsitata substituire volunt, vt $\pi\epsilon\iota\varsigma\omicron\iota\varsigma$, $\pi\epsilon\iota\varsigma\alpha\nu\omicron\iota\varsigma$, quae quidem in ARISTOTELIS Rhethoricis libris alibique occurrunt, eodem sensu, quo hic $\pi\epsilon\iota\theta\omicron\varsigma$ adhibetur; in nullo tamen cod. deprehenditur, atque ex citationibus patrum facile confutari potest, cum tam vnanimis consensus in hac lectione vocis minus vsitatae locum habere non potuerit. Patres enim saltem vltimam solum vocis litteram omiserunt, adeoque satis patet, vocem $\pi\epsilon\iota\theta\omicron\iota\varsigma$ potius exstare potuisse, quam $\pi\epsilon\iota\varsigma\alpha\nu\omicron\iota\varsigma$. Ac facilius ratio reddi potest, cur loco vocis minus vsitatae simile substantiuum nomen substituerint, quam cur non solum loco satis frequentis vocis adiect. aliud dissimile substantiuum, sed etiam plane inusitatum adiectiuum aliud ponere voluerint.

§. XII.

Omnium facillime conciliari posset sententia Cel. ALBERTI in obs. phil. ad h. l. p. 336. qua $\pi\epsilon\iota\theta\omicron\iota\varsigma$ in $\pi\epsilon\iota\theta\omicron\varsigma$ mutatur, vt sit; In verbis persuasionis humanae sapientiae, dummodo ali-

quam saltem auctoritatem prae se ferret; licet hic facillime concipi error scribarum possit; nisi etiam hic vero dissimile esset, quod idem scribarum error etiam in patrum allegationes irrepere potuerit. Non vero difficultas tollitur eo, dum *πειθοῖς* pro nomine subst. pl. numeri habetur, quod SCHREVELIVS in Lexico Graeco amplectitur, scribens: *Est suspecta vox, & alibi non legitur, vel legere possis: ἔκ ἐν πειθοῖς ἀνθρώπινης σοφίας λόγοις, non in persuasionibus, humanae sapientiae verbis: ut sit appositio.* Cum quo conuenit Pasor in lexico p. m. 535. & eam a vero minus abhorrentem putat Cl. ALBERTI, licet ab eadem difficultate prematur, quod numerus pluralis huius subst. nominis nunquam occurrat.

§. XIII.

Desunt itaque rationes & auctoritates mutationem permit- tentes, unde licet nulla auctoritate freti vocem tamen adiecti- uum esse arbitramur, quod inter obsoleta referendum, forte & in communi vita solum tempore *Pauli* adhuc usus eius obti- nuit, quippe quod saepius ipse fatetur, se non adeo elegantiae linguae operam dedisse, ut locis supra citatis, praesertim cum ipse a parentibus graecis natus non esset. Hucusque adhuc saepius fieri solet, ut a vulgo vox adhibeatur, quae in scriptis purioribus adhiberi non solet, licet interdum scriptor rationes haberi possit, ob quas semel utatur eadem. Nec soloecismus opponi nobis hic potest, cum non in ea sententia simus, non posse in diuinis scriptis aliquid occurrere, quod a puriori locu- tione aliquantum recederet; quippe quod diuinae eorundem auctoritati nihil nocere arbitramur, cum Deus quoque modum scriptoris cuiuslibet scribendi secutus sit. *Paulo* quoque cum hominibus maximam partem ineruditis res erat, qui melius verba in vita communi, quam in sophistarum scholis usitata, intelligebant, unde & interdum iis se accommodare, & ipsis verbis ad captum eorum descendere, doctorum muneris erat. Media igitur semper via tenenda, ne putemus viris *θεοπνευστοῖς* soloecismos ac archaismos esse imputandos, ubicunque fieri pot- est, nec semper purissimam dictionem, qualem apud elegantissi- mos

mos

mos ipsius Graeciae scriptores deprehendimus, ab ipsis expectemus. Accedit quod eadem locutio v. 13. repetatur, ut solum *δακτοῖς* pro *πειθοῖς* adhibeatur, ex qua explicatione patet, *Paulum* adiectiuo uti voluisse. Nec vox adiectiue usitata ab analogia Graecae linguae recedit, cum alia eadem modo formentur, ut *Φειδος* a *Φειδῶ*, *εἶκος* ab *εἶκω* &c.

§. XIV.

B, *Ἀνθρώπινης σοφίας* a. *σοφία* generatim sapientiam notat, attribuiturque omnibus arte quadam peritis. Tempore itaque *Pythagorae* omnes promiscue dicebantur sapientes communi nomine etiam architecti, & coriarii, gubernatores, & quicumque denique scirent artem aliquam aut populare artificium, teste *Nicomacho Gerasino* aliisque. Imprimis autem omnibus eruditis nomen illud erat commune, ut explicat *Aristoteles* L. VI. ad *Nicomachum* c. 7, 11. & hinc etiam philosophi ante *Pythagoram* atque poetae *σοφῶν* nomine veniebant. *Diogenes Laertius* in praefatione dicit; *Ἐπὶ τὸν δὲ (Φιλοσοφία) ἐκαλεῖτο σοφία καὶ σοφός ὁ ταύτην ἐπαγγελλόμενος, ὅς εἴη ἂν κατὰ ἀκροτήτα ψυχῆς ἀπηκριβωμένος. Φιλοσοφός δὲ, ὁ σοφίαν ἀσπάζομενος, οἱ δὲ σοφοὶ καὶ σοφιστῶν ἐκαλεῖντο. Καὶ ἔμνονον, ἀλλὰ καὶ οἱ ποιηταί, σοφιστῶν κατὰ καὶ κρατῖνος ἐν Ἀρχιλόχῳ τῆς περὶ Ὀμηροῦ καὶ Ἡσίοδου ἐπαινῶν ἔτως καλεῖ. Antea sapientia dicta, quae nunc philosophia; Ἔ qui hanc profitebatur, sapiens, quicumque ad summam perspicuitatem animi peruenisset: philosophus autem qui sapientiam amplecteretur. Ipsi tamen sapientes sophistae sunt dicti, neque hi solum, verum poetae quandoque sophistarum adpellatione honorantur. Nam *Cratinus* in *Archilocho*, *Homerum* ἔ *Hesiodum* admiratus ita vocat. Usque ad tempora itaque *Pythagorae* illi *σοφοί* dicebantur, qui nunc philosophi appellantur; ille enim nomen hoc leuissimas haud ob rationes, ut putabat, mutauit. Confitebatur enim, Deum solum esse sapientem, seque ea propter non sapientem sed amicum sapientiae nominabat; ex eo itaque originem duxit denominatio philosophi. Hoc amplo significato quoque interdum vox sophista adhibita est, ut tam philosophi quam poetae aliique, qui praeclaris naturae dotibus praeminuerunt, sic appella-*

ren-

rentur. *Homerus* hinc *παιτρης καὶ Φωνη σοφιστων* dicitur. In com-
mate nostro imprimis ad eloquentiam spectatur, cum etiam
Rhetores *σοφων* & praecipue sophistarum nomine venire sole-
rent. Illi enim, qui rhetoricas scholas aperiebant, sophistae
salutabantur: quamdiu autem non spretis aliis scientiis potissi-
mum dicendi facultatem cum virtutum studio coniunctam ha-
berent, omne laude digni aestimati sunt viri isti. Cum autem
ea migrarent, quae ad purum dictionis studium requiruntur,
officiaque Oratoris negligenter, quae secundum *Ciceronem* sunt,
apte, distincte & ornate dicere, contemptui & ludibrio se expo-
suerunt, & inde venit, quod sophista deinde malo sensu adhibea-
tur, imo *Plato* ait, sophistas esse Rhetores, qui veluti venato-
res parati sunt ad capiendos iuuenum animos. Argumentatio-
nes hinc sophistarum, quibus persuadere quaerebant, sophis-
mata audiebant, hinc etiam in scholis logicorum terminus ad-
hibitus est sophisma, quod Paralogismum denotat consulto ad
aliquem circumueniendum adhibitum.

§. XV.

b, *Ανθρώπων*: hanc vocem omittunt quidam codices, quos
allegat *Millius*, *Claramontanus* & *Petauii* codex, quibus addit
Bengelius ad h. l. apparatu critico *Armenicam* versionem & *Hiero-
nymum* ad Eph. 1, Potest addi *Syriaca* versio atque *Origenes*
Philocal c. 4. p. 25. Ipse tamen *Origenes* aliis in locis habet su-
pra adductis aliique patres, vt *Eusebius* l. c. nec codices &
versiones tantae sunt auctoritatis, vt eorum auctoritate freti illud
expugnare auderemus. Lektionem autem hanc genuinam esse,
confirmatur per oppositionem in toto contextu hoc obviam; di-
uinae enim & humanae sapientiae mentionem facit *Paulus*. v. 1.
asserit, se non cum eminentia sermonis aut sapientiae venisse
ad Corinthios, & capite 1, v. 20. scribit, Deum infatuasse sa-
pientiam mundi huius, & v. 21. rationes suppeditat. Ex his
fatis apparet, *Paulum* hic de peruersa hominum sapientia loqui.
Quodsi omissa fuisset vox *ανθρώπων*, tunc facile videri po-
tuisset, acsi omnem reiicere vellet sapientiam, quod tamen aliis scri-

scri-

Scripturae sacrae locis contradiceret. Has itaque ob rationes lectionem hanc retinemus.

§. XVI.

Nostrum autem est, ut nunc explicemus, quidnam Paulus per sapientiam humanam intelligat. Mens Apostoli non est, ut reiiciat α , legitimas demonstrationes atque solidiorem rei explicationem. Quicumque enim unquam scripta Pauli perlegerit cum attentione, statim sane animadvertet, quam accurate, distincte & solide ubique agat, oppositiones tam Iudaeorum quam gentilium confutet ex ipsis principiis aduersariorum: Sic etiam in orationibus suis, quae in actis Apostolorum reperiuntur, ubique iusto ordine procedit, Iudaeos ex libris V. T. Gentiles autem ex Theol. nat: conuincens. β , nec ipsam constructionem & locutionem ad grammaticas regulas accommodatam. Nam ipse in epistolis suis ita versatur, ut ea omnia retineat, alias enim intelligi a lectoribus haud potuisset, si minus usitatam constructionem & vitiosam locutionem adhibuisset. γ , nec denique orationes ad captum auditorum accommodatas, nec eas quidem, quae dictionis ornatu fulgent, dummodo euidentiae rei ipsius eo nihil decedat. Sed positivae artes, quibus utebantur sophistae in persuasionibus. Pertinet autem ad eloquentiam sophistarum 1, tumor in loquendo seu affectatio & usus vocum obsoletarum. Verba illorum erant multiplicia, & quia pingui & florido dictionis genere capti, profecto nihil habebant antiquius, quam sequi etiam florida, & suavia diligere. Equidem dicendi genus floridum certo potest adhiberi loco, sed quando decus non observatur, ineptum redditur & inficetum. Hinc deculpandi sophistae sunt, namque sordebant ipsis propria, perspicua, pura, & ornata verba: placebant potius aliena & inusitata, quos stupefacti dicentes contuerentur & effuse praedicarent. Faciebant hi ad pompam omnia: suaque exornabant verbis delicatis ac floridis & ad tumorem non sine cura compositis. Solemne illud ipsis erat, ut luxuriarentur, unde vero amittebat omnem gratiam oratio. Praeter hanc affectationem in orationibus suis

C

obser-

obseruatur vsus vocum obsoletarum minus cognitarum, vel recens excogitatarum; ea enim erant opinione, orationem eo praestantiorē esse, quo plura rancida & obsoleta haberet. Sophistae ad obscuritatem pleraque referebant & illorum verba erant quam maxime inusitata, vt vel ipsis Graecis barbāre loqui videri potuissent; gaudebant hi laetabanturque, quando non perciperent alii, quae vellent, hinc noua iungebant nouis, & praeter omnem necessitatem ita loquebantur, sententiae plebis se accommodantes: quo obscurius, eo doctius. Pariter etiam cumulabant figuras oratorias. De *Gorgia* enim *Leontino* constat audaciores quasdam metaphoras & insignem dictionis ornatum adhibuisse, qui propter infuetam nouitatem & aurium delectationem tunc probabatur, imo hoc fecerunt & sophistae alii, qui delicias illas aemulabantur perpetuo studio: at vero quae ornamenta sapientiores ante mirabantur, propter vsū puerilem dicentium postea frigida γοργεια nuncupata, est hinc etiam γοργιαζειν *Gorgiam* sophistam imitari. Hinc *Suidas* de *Gorgia* dicit: *Hic tropis & metaphoris & allegoriis & hypallagis & allusionibus & traiectionibus & conduplicatis & repetitionibus & apostrophis usus* 2) operam dederunt vt de omnibus rebus in vtramque partem differere possent, atque mox negare, quod antea affirmauerant, quod non poterat aliter fieri quam sophismatibus ad decipiendos auditores confectis; utebantur enim verbis minus cognitis animosque auditorum perturbabant per multitudinem metaphorarum, quo factum est, vt de rebus propositis iustum & aequum iudicium ferre haud possent. Quod ipsum de vanitate artium harum luculentissime testatur, cum orationis finis, conuictio & certitudo apud auditores producenda, obtineri non possunt. Fucum enim solum iis faciebant, impugnando hodie eadem, summa eloquentia, quae hesternā luce inuictis, vt videbatur, argumentis, defenderant. Prolixius hac de re egit. Clariss. *M. Ge. Nicolai KRIEGK* in diff. de eloquentia sophist. *Paulus* itaque, non negat verum eloquentiae vsū ac operam, quam orationibus publicis habendis impendere debeant, sed α) solum sophisticam eloquentiam & exinde ortam arrogantiam; sibi enim sapiebant

bant

bant soli, & superciliose contemnebant reliquos. Nec id est cur miremur, cum inutilia fugere, qualia orationes neminem instituentes & conuincentes, sed auditorum modo aures titillantes, sit cuiuslibet hominis rationem sequentis, multo magis, praeconis doctrinae diuinae. β) Indicat se eo magis sollicitum fuisse in abstinendo ab omnibus artificiis oratoriis, ut eo melius diuina verbi efficacia & vis agnoscat, quae tanta est, ut nulla arte humana opus sit ad excitandam eandem. Ipsa quoque mens humana facile verbis inhaeret, res negligens, unde conuictio eorum ab Euangelii hostibus facile ex his blandis verbis deriuari potuisset, atque multum testimonio veritatis eiusdem decessisset. Capite enim 12, v. 8. *λογον σοφιας* inter dona diuinitus hominibus concessa refert.

§. XVII.

Propositione negatiua considerata, positiuam nunc paucis contemplabimur: antequam autem singula verba perpendamus, nexus ostendi debet. In priori parte commatis nostri *Paulus* eo occupatus erat, ut ea omnia remoueret, quae sermoni & praedicationi suae haud conuenientia fuissent, nunc igitur ad veram indolem eiusdem describendam progreditur. *αλλα* oppositionem indicat praecedens plane tollens, quoniam efficacia diuina cum fallaciis sophisticis consistere nequeat, verbum enim diuinum non solum non eget talibus artibus, sed etiam veritatibus coelestibus repugnarent. Quod si enim *Paulus* talia adhibere voluisset, ut *Corinthii* eo facilius ipsi assensum praebuissent, tunc animi commotiones, quae ex auditione verbi euangelii ortum trahunt, adeoque a Deo originem habent, non satis distingui potuissent a commotionibus ex orationis eloquentia oriundis. Verbum enim diuinum semper hanc vim & efficaciam secum coniunctam habet, ut auditores seu illos, qui sacras paginas legunt, commoueat & mutationes in hominibus producat, quae fini illorum conuenientes sunt, nisi modo sibi ipsis impedimenta ponant, quo efficacia verbi D. actu secundo salutariter sese exserere haud possit. Res itaque cum se sic habeat,

facile opinari quidam potuissent, si *Paulus* methodo sophistica perorasset & verborum lenociniis aures Corinthiorum occupare voluisset, omnia rationem habere in pompa orationis ipsius, adeoque quae spiritus sancti fuissent, artibus rhetoricis adscribere potuissent. *Ev* indicat, semper doctrinam diuinam hanc efficaciam comitem habere, & imprimis omnes effectus praedicationis Pauli ex ea originem suam trahere.

§. XVIII.

Verba ipsa, quibus *Paulus* utitur, quibusque rationem reddit de methodo adhibita in praedicatione euangelii, sunt: *εν αποδειξει πνευματος και δυναμεως*. *Πνευμα* cum terminus *πολυσημος* sit, operam nauabimus, vt quosdam significatus adducamus, quo mentem Apostoli eo melius percipere valeamus. Ad generaliorem significatum quod attinet, spiritum denotat, & quidem tam spiritum independentem, vt Ioh. 4, 24. *πνευμα ο Θεος*, quam dependentem, & tunc iterum vel spiritum corpori organico ex tellure desumpto connexum vel non, hinc anima hominis, angeli tam boni quam mali hoc nomine in sacris litteris veniunt. Eminentiori itaque modo Deum spiritum perfectissimum denotat, & quidem iterum vel *εσιδος* vel *υποστατικως*. *Υποστατικως* tertiam personam diuinitatis significat, tam sine epitheto quam adiecto epitheto Matt. 4, 1. Matt. 1, 18. 20. Sanctus autem dicitur non solum propter essentiam, sed & propter effectus quia homines sanctificat, hinc Metonymice *πνευμα* designat spiritus sancti effectus, dona & operationes. Vnde eo nomine venit, 1) doctrina euangelii 2 Cor. 3, 6. vbi *πνευμα* *τω γραμματι* opponitur. *Γραμμα* legem Mosaicam lapideis tabulis insculptam, *πνευμα* autem doctrinam de Christo seu euangelium denotat, quia adfert secum spiritum sanctum, qui diuina efficacia cor hominis immutat ac digito suo legem cordi eius inscribit 2) gratiosi salutaresque motus spiritus s. & operationes, 1 Thess. 5, 19. *πνευμα νη σβεννυτε* spiritum ne extinguite, 3) spiritus sancti extraordinaria dona ad vsus siue publicos siue priuatos ab eo concessa Luc. 1, 17. Conferatur *STOCKII Clavis in N. T.* In nostro

nostro

nostro loco *πνευμα* vitam quidem sermonis indicare posset, seu eam indolem, qua commouere ac disponere potest animum oratio, contextui tamen ac vsui vocis in scriptura sacra conuenientius explicatur de origine scripturae sacrae; illius enim auctor primarius Deus trinus est, oeconomice autem spiritus sanctus, qui scriptoribus sacris non solum res sed & voces litteris consignandas suppeditauit, quinimo scriptor sacer simul eo ad operationes spiritus s. per scripturam respicit.

§. XIX.

Δυναμις proprie vim ac virtutem agendi ac operandi denotat, vel infinitam, vel finitam. Quando diuinae potentiae significatum habet, tunc potestatem ac vim 1, Dei significat, qua omnipotenter in omnibus operatur Eph. 3, 20. quatenus ipsi attributum hoc seu omnipotentia tribuenda venit, quae ipsi ob infinitam perfectionem inlita esse debet, 2. potentiam & vim verbi diuini, quam ipsi indidit, vt eos salutare effectus prodere possit, qui a reuelatione diuina necessario expectari debent, quae igitur vi ordinariae verborum & humani sermonis opponitur, ac plane alia & infinite maior esse debet. Nostro itaque loco potentiam Dei significat, quam communicauit suo verbo seu efficaciam, qua animum commouere potest, quod nimirum spiritus Dei consequens & effectus est. Distinguit ergo Paulus diuinam & supernaturalem vim & efficaciam a naturali illa quae sermoni competit si ita comparatus est vt motiua & rationes contineat, quae lectori seu auditori placent. Apostolus ea propter omni modo negat, *Corinthios* per talem vim & efficaciam naturalem ad fidem in *Christum* perductos esse; in sermone enim suo talia non adhibuit, quae naturali modo illis placere potuissent. Nec opus habet verbum Dei talibus motiuis & rationibus, sine quibus humana oratio nil prodesset, & Orator finem suum non consequeretur; a Deo enim auctore scripturae hanc vim insitam habet, vt sit viua & efficax, & quouis gladio ancipiti acutior & penetrans vsque ad diuisionem

animae & spiritus compagumque & medullarum & animi cogitationum consiliorumque iudex Ebr. 4, 12. In isto loco autem auctorem epistolae ad Ebraeos de λογω προφορικω sermonem facere, ostendit D. I. Meisnerus in disquisitione sacra de verbo D. ex Ebr. 4, 12. Quod si fortasse quidam explicationem hanc admittere nollet, efficacia scripturae sacrae ex multis aliis dictis clarioribus probari potest 1 Tess. 2, 13. 2 Tim. 3, 15. seq. Act. 2, 37. Ex his omnibus luculenter patet, Pauli sermonem moraliter non tantummodo suasisse, prouti humanum scriptum, sed & insita innata diuina vi, & intrinseca facultate gauisum esse.

§. XX.

Postquam indicauimus, quidnam Paulus per δυναμιν intelligat, paucis tantummodo attingere liceat sententias illorum, qui in explicanda hac voce nobiscum haud consentiunt. Ad rem igitur non esse videtur, per δυναμιν Euangelium intelligere, quod ab ipso Paulo Rom. 1, 16. δυναμὶς Θεοῦ appellatur, vt Wolfio placet in curis philologicis & crit. ad h. l. cum Paulus nostro loco de Euangelio, quod ipse annuntiabat, loquatur. Verbum enim & praedicatio Pauli nil aliud erant quam doctrina de Iesu hominum redemptore adeoque Euangelium, suae hinc doctrinae hanc δυναμιν tribuit; quod si enim Apostolus per δυναμιν Euangelium significare voluisset, tunc idem per idem dixisset. Verbum meum & praedicatio mea i. e. Euangelium non fuit in persuasoriis verbis humanae sapientiae sed in demonstratione spiritus & Euangelii. C, nec etiam miracula per δυναμιν intelligimus, licet neutiquam negemus, in sacris litteris miracula δυναμεων nomine venire, sicuti Matth. 7, 22. c. 11, 20. Sententia ista arrisit THEOPHYLACTO teste SVICERO Tom. I. Thesauri phil. p. 910. & FEVSTKINGIO Diss. de Symbibismo biblico p. 9. qui deinde praeeunte Huetio demonst. Euangel. p. 4. per spiritum libros Veteris Testamenti intelligunt. Melius enim eodem modo explican-

plican-

plicandum esse videtur, quo Paulus in subsequentibus utitur. Miracula enim non per Euangelium probantur, sed hoc per illa. Fines enim miraculorum in eo consistit, ut homines intelligant, hunc vel illum a Deo esse ablegatum ad voluntatem Dei illis publicandum. Hinc etiam miracula σημειων nomine veniunt, quae edebantur a Christo in diebus carnis, ut missio eius a patre confirmaretur & doctrinae praedicatae veritas Ioh. 2, 11. c. 3, 2. 6. b, ab Apostolis ut appareret, doctrinam, quam praedicarent, non figmentum humanum sed verbum Creatoris coeli & terrae esse Act. 2, 43. Quod si autem a propria significatione & definitione miraculorum receditur, & per illa supernaturales verbi diuini effectus intelliguntur, tunc eadem cum nostra sententia est.

§. XXI.

Omissio ultimi καὶ δυναμεις in aethiopica versione omnibus reliquis versionibus & codicibus repugnat, unde a Millio male in Prolegomenis ad N. T. approbatur. Qui addunt Θεσ post δυναμεις, quod citat Millius ex Didymo Lib. 2. de spiritu sancto & Ambrosio, recte Millio ex sequentibus, imprimis commate §. id desumpsisse videntur: ἀλλ ἐν δυναμεις Θεσ. Mutatio vocis αποδειξει in αποκαλυψει, quam Millius ex codice Claromontano & S. Germani adducit, non maiorem attentionem meretur, cum sine dubio v. ro. huic ansam praebuerit.

§. XXII.

Αποδειξις alias in N. T. non reperitur, & inuincibilem & luculentam indicat demonstrationem, quae fit certis & indubitatis argumentis ac rationibus, ut homo de rebus propositis certo sciat, rem se ita nec aliter habere. Sicuti etiam apud Aristophanem in Nubibus occurrit Εγων αποδειξω καὶ νηκησω. Unde de demonstrationibus proprie dictis,

etis,

etis; quae in scientiis occurrunt, adhiberi solet, quae summam certitudinem efficiunt. Paulus igitur docet, doctrinam euangelii, cum non moueret ad assensum per argumenta ex sapientia humana desumpta, Corinthios tamen de veritate sua conuictos reddidisse per virtutem spiritus s. sibi coniunctam, ac habuisse vim demonstrationis solidissimae, ut mentem illorum mouisset, ut assensum fidei prae-buissent, ex his effectibus & luculentis testimoniis eapropter probari, sermonem suum originem ducere a spiritu sancto, & inesse ei efficaciam diuinam. Quam maxime autem oppositio hic notanda venit, persuasionis & demonstrationis. Persuasio enim locum inuenire potest, si animi hominum argumentorum multitudine obruantur; tunc enim difficile, est, ut argumenta in tam breui tempore recte pensitari possint, ex quo fit, ut talis oratio auditores ad silentium quidem redigat, sed non ad conuictionem. Demonstratio autem exinde oritur, si res, quae proponuntur, solidis firmisque fundamentis nitantur, & argumenta non aeque ignota sunt auditoribus quam res ipsa, quae demonstrari debet, unde a Paulo vera conuictio speciei conuictionis opponitur. Verba enim & veritates, quas proponebat, concomitabatur spiritus sanctus, & in cordibus experiebantur, ea omnia sic se habere. Qui hendyadyn hic statuunt, ut *πνεύμα καὶ δύναμις* idem sit ac *δύναμις πνεύματος* in re ipsa a nobis non differunt, licet in constructione.

FINIS.

coll. aus. A. 239, uisc. 8